



nihilominus juri naturæ neutiquam adverfe-
tur: motiva illius recta sunt, iusta sunt.

CAPUT IV.

De pactis & fœderibus.

§. I.

De notione fœderis & pacti.

Notandum est ante omnia, quod status iste
quæstionis non attingat pacta privata inter
personas privatas circa privata negotia; sed
pacta publica, seu conventiones initas inter
varias gentes causæ communis gratiâ. — Re-
quiritur ergo, ut ipsi paciscentes sint gen-
tium paciscentium capita, imperantes nem-
pe, aut horum deputati; simul atque, ut
tractetur negotium publicum.

Itaque pactum in jure gentium rectè de-
scribitur: *conventio publica gentium quæ talium
intra ab ipsis ob negotia & res publicas. — Fœ-
dus nec ex parte partium paciscentium, nec
ex parte publicitatis, sed solummodò in eo
differt à pacto jam descripto, quod pactum
tendat ad præstationem singularem & transi-
toriam; écontra autem fœdus præstationem &
obligationem stabilem generet: unde cl. de
Martini parte II. Cap. XXI. de Conv. §. DCIX.
inquit: Publicæ illæ conventiones, si ad sin-
gularem*



“ gularē tantū & transitoriam præstatio-
 “ nem tendant, generale *pactionis* nomen reti-
 “ nent; si verò obligationem quandam du-
 “ rabilem, & specialem societatem inter duas
 “ vel plures gentes stabiliant, fœderum ad
 “ pellatione continentur. „

Huc spectantem æqualitatem, & inæ-
 “ qualitatem fœderum, proin & pactorum, in-
 “ digitat *cl. Heineccius Lib. II. j. n. & g. §.*
 “ *CCVII.* sequentibus verbis: “ Alterum jus
 “ majestatis; quòd transeuntibus accenseri
 “ potest, est jus *pangendi fœdera*, per quæ in-
 “ telligimus conventiones gentium libera-
 “ rum de rebus ad utriusque, vel alterius
 “ reipublicæ utilitatem pertinentibus. *Ex*
 “ qua definitione satis patet, eorum alia ef-
 “ se *æqualia*, in quibus par est omnium fœ-
 “ deratorum conditio: alia *inæqualia*, in qui-
 “ bus non par & æquale jus omnibus tri-
 “ buitur, sed alius fœderatus deterioris,
 “ alius melioris conditionis est: id quod tam
 “ ratione *præstandorum*, quam ratione *modi præ-*
 “ *standi* contingere posse, exempla quàm
 “ plurima docent. Sæpe fœderatus poter-
 “ tior minus potenti promittit subsidia pe-
 “ cuniaria, vel certum copiarum, vel navi-
 “ um, & classiariorum numerum, & sibi vel
 “ nihil, vel parum restipulatur. Tunc in-
 “ æquale est fœdus ratione *præstandorum*. At
 “ sæpe fœderibus caveretur, ut respublica una
 “ alteram comiter veneretur, ne cui bellum
 “ injussu alterius faciat, ne classē habeat,
 “ ut

“ ut tributum annuum pendat, ne fabros ha-
“ beat, neque ferro, nisi in agriculturâ utra-
“ rur quæ omnia sunt fœdera
“ inæqualia ratione *modi præstandi*, siquidem
“ alter fœderatorum alterius veluti clientem
“ se hoc præstandi modo profiteretur.”

Immediatus & inseparabilis pactorum
fœderumque effectus est obligatio mutua ea
omnia præstandi, quæ conventio complecti-
tur; & singula evitandi, quæ vitare jubet
conventio: nihil quippe tam arctè copula-
rum est humanæ fidei ac justitiæ, quàm ea, quæ
semel placuerunt, ac mutuo consensu san-
cita sunt, tam diu tam quoad substantiam,
quam quoad modum servare integre & in-
violabiliter, quamdiu conventio durat.

Quoniam porro nullum est vinculum
iniquitatis; hinc per se se manifestum est,
quod objectum pactorum, ac fœderum licitum
esse debeat atque honestum: unde con-
ventiones à gentibus iniri ac stabiliri neque-
unt, quæ juri naturali, divino &c. refragantur.

§. II.

De jure paciscendi.

Personæ liberæ se invicem obligare, ac mutuam
sibi dare fidem possunt ex ipsa liber-
tate connatâ: unde enascitur, quod jus in-
eundi pacta inter gentes quoque connatum



fit: obligationes autem ex pactis ac foederibus initis resultantes, juris sunt hypothetici. — Quamvis autem personæ physicae in societatibus inæqualibus ab aliis dependentes ad certos contractus, pacta &c. possint inhabilitari; id tamen cogitari non potest de gentibus, utpote quæ independentes sunt, adeoque ad similes actus à nemine inhabilitari queunt.

Gentes igitur pacta & foedera constituendi jus plenum habent & independens, quin in hoc jure turbari possint ab aliis. Quoniam verò gentium commoda promovere & incommoda remove vel maximè competeri imperantibus, non item personis privatis; hinc non ad has, sed ad illos jus paciscendi meritò restringitur.

Notavimus porro in prioribus sæpe, quod jus majestaticum tam ad transeuntia, quam ad immanentia negotia se se extendat; confectarium proinde est, quod facultas pacta & foedera cum aliis gentibus ineundi, eadem mutandi, aut dissolvendi tributa sit imperantibus; minimè verò membris privatis, aut populi multitudini in regnis monarchicis, & aristocraticis.

Foedera itaque, aut pacta, renitentibus imperantibus, inita à populi multitudine cum gentibus aliis, re ipsa talia non sunt, sed invalida prorsus & illicita ex defectu juris si-



ve potestatis; adeoque non solum irritabilia, sed ipso jure & facto, irrita reputari debent. — Quid sentiendum sit de fœderibus & pactis, quæ inita sunt imperante quidem consentiente; ita tamen, ut consensus ille exortus fuerit per metum injustè incussum, & tempore consensûs adhuc perdurantem, cuilibet æquo rerum judici juxta principia juris naturæ alibi tradita definiendum relinquimus. — De fœderum & pactorum stabilitate rectè ex *Grotio* inquit *cl. de Martini* cap. XXI. §. DCXIX. “ Cum tamen fœdera
 “ omnia tendere debeant ad utilitatem pu-
 “ blicam, eorumque jus fluat ex imperio ci-
 “ vili, quod non nisi sublata penitus gente
 “ expirat, naturale est, ut fœdera etiam à
 “ monarchis nomine totius populi percussa,
 “ & *realia* esse intelligantur, donec vel ex
 “ verbis, aut ex causa contrahentium, vel
 “ ex natura negotii contrarium adpareat.”

Jus fœdera ineundi & pacta cum aliis gentibus circa materias profanas, non ad solas gentes ejusdem religionis restringitur; sed fideles cum infidelibus talia condere pacta valent, bono communi id sæpius expostulante.

Fides ergo illis etiam data gentibus, quæ in causa religionis à nobis dissident, sanctè custodienda est & adimplenda. Sanè, si initum pactum inter privatos diversæ religionis homines, v. g. inter catholicum & judæum, fideliter servandum sit, ac dedu-
 cendum



endum ad effectum, idque exigit ipsa iustitia; fortiore & eminentiore modo idem tenet inter gentes per pacta confœderatas.

Cùm verò bonum religionis prævaleat omni lucro temporali, eique longissimè sit anteponendum; cautè ac providè attendendum est ex parte gentis fidelis cum infidelis paciscentis, an talis occasione pacti, aut fœderis cives suæ gentis devenire possint in discrimen veræ religionis. — Quodsi res ita se habeat, postposito commodo quocunque demum temporali, quod per talia pacta ad gentem suam diffluere possit, à similibus conventionibus abstinendum est; quis enim inter rectè salubriterque sentientes ignorat, quòd in collisione boni spiritualis cum temporali seligendum sit primum, posterius verò deserendum?

Fœderibus porro & pactis condiciones sæpe tacitæ inesse possunt, ita, ut paciscentes ultra eas se se mutuò non obligasse merito censerì debeant: unde, si gens una convenerit cum alià, quòd in casu necessitatis copias auxiliares ei tribuere debeat, tacitè subintelligitur; quòd ad id se non obliget, si eodem tempore bello quoque ita prematur, ut cuncti sui milites sibi ipsi adprimè sint necessarii.

Si obscura & dubia sint verba pactorum ac fœderum, sanà opus erit interpretatione; cujus

ejus regulas in jure naturæ publico tradidimus; & ea speciatim tenenda est interpretatio, quam propria verborum significatio subministrat.

Siqua gens cum pluribus aliis gentibus pacta sanciverit, emergantque circumstantiæ, in quibus simul & semel utrique genti promissa officia præstare nequeat; obtinebit vulgatum istud: *qui prior est tempore, prior est jure*; tenebitur nempe illi genti succurrere, cum qua primò illud inivit pactum, quod de factò colliditur cum pacto serius inito cum gente alterâ: supposito nimirum, quòd eodem tempore officia ista petantur. Dato autem casu, quòd nulli patrocinetur prærogativa temporis, & officia adpromissa implerentur eodem tempore à gente utraque confederatâ, auxilia dividenda erunt pro rata.

§ III.

De varietate pactorum.

Diversitas pactorum ac fœderum hoc loco consignanda venit, ut varia eorum obligatio clarius perspiciatur. Sunt itaque fœdera quædam & pacta quasi supererogatoriè inita circa illa, quæ aliunde gens una alteri vi ipsius juris naturalis debet. Quamvis autem hujusmodi conventiones per se se superflue videantur, imò ab authoribus passim pudendæ nuncupentur; evenire tamen possunt circumstantiæ



cumstantiâ, pro quibus propemodum necessarîæ evadunt: uti dum cum hoste barbaro & inculto pactum quis inire debet de non lædendâ, gravandâ &c. suâ gente & patriâ. Interim de pactis hujusmodi *Puffendorfius Lib. VIII. Cap. IX. §. 2. de j. n. & g.* in modum loquitur sequentem: "Padere propemodum
 "debebat homines cultos pactum inire, cu
 "jus capita nil aliud contineant, quàm, me
 "simpliciter ac directè jus naturæ violerur
 "quasi citra illud pactum non satis quis offi
 "cii sit memor futurus."

Pacta istiusmodi *generalia* vocantur, & dividi solent in *negativa*, & *adfirmativa*; nempe ineantur pacta de non lædendo in iis in quibus vi juris naturæ gens nulla lædi debet, *negativa* sunt; si verò in vim pactorum illa humanitatis officia præstanda sint, quæ aliàs duntaxat obligationis imperfectæ erant, nunc verò ratione pacti juris perfecti fiunt, *adfirmativa* vocantur. — Varietas quoque aliqua pactorum sita est in eo, quòd aliqua *simplicis ac naturalis amicitie* gratiâ ineantur; alia verò *arctiorem quandam colligationem*, indeque enatam *strictam* obligationem inducant.

Hæc, si specialem inter gentes præstationem pro objecto habent, pacta *specialia* nuncupantur; veluti si gens cum alia gente conveniat de extradendis, mutuò desertoribus, fugitivis delinquentibus, de communicandâ *annonâ* &c. — Hujus generis pacta *Ch. de Mare*



Martini, Part. II. Cap. XXI. §. DCXIII. & DCXIV. singulatim enumerat in modum sequentem: “ 1. De vectigali pro mercibus non solvendo, vel non ultra certam quantitatem. 2. De alterius subditis suis sedibus non recipiendis. 3. De delinquentibus mutuo extradendis. 4. De arce in confinio alterius populi non habenda, aut aliis monumentis. 5. Tum ut aliquod mercium genus genti tantum stipulanti vendatur. 6. Ut mutua sit inter duas gentes successio, seu fœdus confraternitatis. 7. Ut alteri populo in propugnaculis alterius populi præsidium habere liceat pro tuendis finibus. 8. Ut certus equitum, peditum, vel navium numerus ducatur contra communem hostem. 9. Ut res, vel personæ captæ soluto certo pretio restituantur. 10. Ne iter alterius hosti præbeatur, & quæ sunt reliqua „

Porro compertum est, quòd pacta fiant vel ad *definitum*, vel ad *indefinitum* tempus. Quodsi definiatur certa temporis ratio pro duratione pacti, aut fœderis, pactum erit *temporarium*; & post lapsum præfiniti termini non amplius obligat: Si verò nullum tempus determinetur, pactum censetur *perpetuum*, & tanquam *reale* salvum permanet, etsi personæ individuae paciscentes mortuæ fuerint; tales enim personæ, sive imperantes nomine totius gentis, quæ unam constituit personam moralem, pacta inierunt & fœdera cum aliis



aliis gentibus eodem modo consideratis: *communitas autem non moritur.*

Præterea omnes pactorum fœderumque genuinæ species, utpote conventiones publicæ, scrupulosè firmiterque servandæ sunt, quoadusque per legitimas causas dissolvantur; quin fas sit uni parti é prætextibus utcumque coloratis, publicas sanctasque disrumpere conventiones, utique non nisi cum maximo concernentium præjudicio ac detrimento.

Quocirca *Cl. Zallinger Lib. IV. j. g. Cap. IV. §. CCXCIII.* rectissime inquit: "Fides
 " pactorum publicorum ac fœderum sancta
 " est & inviolabilis. *Sanctum & inviolabile in*
 " hac disciplina dicimus, quod, ut ab omni
 " violatione immune sit, communis gentium
 " salus postulat. Hoc modo salus gentium
 " fidem pactorum ac fœderum postulat; cum
 " ea non fiant, nisi de rebus magni mo-
 " menti, nec violentur sine gravissimis in-
 " commodis. Enimvero in communi imperio
 " aut imperante, à quo pacta & fœdera di-
 " manant, jura & officia civium collecta in-
 " telliguntur: non possunt igitur violari fœ-
 " dera, quin jura plurimorum hominum si-
 " mul eodemque tempore violentur; neque
 " gens in servanda fide deesse potest officio
 " suo, quin plurimi cives simul eodemque
 " tempore illi deesse, ac veluti confertam
 " injuriam irrogare censeantur."



Et Cl. de Martini loco supra citato, §. DCXXII. de ratione æquitatis statuit sequentia: "Etsi vero ad mutua gentium officia & illud pertineat, ut æquitatis habeatur ratio in fœderibus pangendis; ea tamen, quæ sine errore & dolo à consentientibus facta sunt, æqua censentur, licet fuerint inæqualia; plures enim subesse possunt justæ causæ, ob quas ab æqualitate recedatur. Quare nulla tunc competit restitutio prætextu læsionis."

Duplici potissimum modo firmari possunt pacta & fœdera; *juramento* videlicet, & sic dicta *guarantiâ*. — Primum fit, dum gens utraque paciscens jurat, se se initam conventionem sincerè & effectivè observaturam esse. Cùm verò notaverimus in prioribus, quod etiam cum gente à verâ fide alienâ pacta iniri queant & fœdera, oritur quæstio, an juramenta infidelium elicienda sint & acceptanda? — Sunt, qui existimant, formulam juramenti religioni cujuscunque gentis, etiamsi falsos colat Deos, adcommodari posse; eo forsan ducti motivo, quod notio Dei omnium gentium sit insita cordibus; & quamvis errent in adplicatione, in eo nimirum objecto Deitatem collocando ac venerando, quod revera ea non est; genericam tamen de Deitate persuasionem habeant ac notionem. — Verum, cum talia juramenta non nisi cum gravi reatu emittantur, ad ea tam parum, quam ad alia nefanda concurrere licet.



Hanc circa materiam referri solet *Augustinus* epist. 154. ita differens: "Quod
 " utitur fide illius, quem constat jurasse per
 " Deos falsos, & utitur non ad malam rem,
 " sed ad licitam & bonam, non peccato ejus
 " se sociat, quo per daemona juravit, sed
 " bono pacto ejus, quo fidem servavit....
 " Alia quaestio est, utrum non peccet, qui
 " per falsos Deos sibi jurari fecit; quia ille,
 " qui jurat, falsos Deos colit. Cui quaestioni
 " possunt illa testimonia suffragari, quae ipse
 " commemorasti de Laban & Abimelech,
 " si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut
 " ut Laban per Deum Jacob. Haec, ut dicitur,
 " alia quaestio est, quae me merito fortassis
 " moveret, nisi illa exempla occurrissent de
 " Isaac & Jacob, & si qua alia possunt in-
 " veniri „.

Juramenta judaeorum & mahometano-
 rum, utpote qui jurant per Deum verum,
 admitti posse, imo reipsa acceptari, ratio
 docet & experientia. — Longe aliter differen-
 dum est de juramentis *Atheorum*; hi namque
 cum ipsam Deitatem negent, non tam ju-
 rare, quam fingere & illudere censendi sunt;
 unde patet, quanta ipsis danda sit fides etiam
 in publicis, ac summe arduis negotiis! Itaque
 rum ergo hominum suscipere juramenta ne-
 mo salvâ ausit conscientiâ, eorumque fide-
 litati fidendum est nihil.